

declaravit, donec ipsorum redditus eousque adaucti fuerint ut in eis commode sustentari valeant et cum effectu sustententur duodecim religiosi ad apostolicorum decretorum præscriptum, idque eidem S. C. legitime constiterit, et ejus decreto in singulis contingentibus casibus declaratum fuerit et non aliter.

« Interea vero voluit Sanctitas Sua ut in eorum singulis ali debeant et reipsa alantur sex saltem religiosi probatæ vitæ ex quibus quatuor ad minus sint sacerdotes maturæ ætatis; alioquin gratia restitutionis et concessionis hujusmodi nulla sit et invalida, et ordinarii locorum in illis exequi possint ac debeant ea omnia quæ, in aliis conventibus itidem suppressis, per eandem const. ipsis demandantur, perinde ac si gratia prædictæ restitutionis et concessionis non emanasset.

« Insuper quia multi conventus in quibus, etsi præfixus fuerit numerus religiosorum sufficiens ad observantiam regularis disciplinæ, et idcirco in suppressione antedicta non fuerint comprehensi, nihilominus, sive ob reddituum diminutionem, sive ob superiorum incuriam vel malam administrationem, sive ob carentiam religiosorum, aut aeris intemperiem, vel quancumque aliam ob causam, prædictus numerus cum effectu in eis non alitur, cum gravi detrimento regularis observantiæ; Sanctitas Sua, intendens huic malo remedium adhibere, omnes et singulos ejusmodi conventus, ut præfertur, non suppressos, a jure canonico sicut ordinis, tam mendicantium quam non mendicantium, congregationis et instituti, etiam Societatis Jesu, aut grancie seu membra ulterius monasterii, existentes intra fines Italiæ et insularum adjacentium, in quibus non aluntur vel quancumque actu non alentur saltem sex religiosi, itidem probatæ vitæ, quorum ad minus quatuor, ut supra, sint sacerdotes maturæ ætatis, eidem visitationi, correctioni et omnimodæ jurisdictioni ordinarii loci similiter, ut Sedis apostolicæ delegati, plene in omnibus, præsentis pariter decreti vigore, subjectos esse statuit, decrevit et declaravit.

« Cæterum quoad conventus cum pauciori numero quam duodecim religiosorum, erectos post diem 21 Junii 1625, etiam illorum subjectionem loci ordinario, Sanctitas Sua voluit in suo robore permanere, juxta decretum san. mem. Urbani VII jussu editum, cui per præmissa aliquatenus derogari non intendit.

« Et prædicta omnia et singula in præsentis decreto statuta et ordinata voluit plenarium sortiri effectum, et executioni mandari, non obstantibus omnibus et singulis quæ in antedicta constitutione voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

« Datum Romæ, die 10 februarii 1634. B. Car. SPADA. — Prosper Fagnanus, secret. »

Legantur apud Giraldum, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 599, variæ declarationes super hoc decreto Innocentii X, a Sacra C. super statu regularium editæ.

Cf. auctorem nostrum lib. I. Decretal., Tit. XXXI, de *Officio judicis ordinarii*, § IV; Adnotationes VIII, IX et X secundi voluminis, et Adnotationem XXVI hujusce voluminis.

ADNOTATIO XXVIII.

Lib. III. Decretal., Tit. XL, De consecratione ecclesiæ et altaris, § I, n. 3, pag. 156.

SOLUS EPISCOPUS LOCI HABET JUS CONSECRANDI ECCLESIAS ET ALTARIA.

« Ad episcopum vere et propria talem necinet ecclesias et altaria consecrare, id est ad episcopum loci seu diocesanum, adeo ut sine ejus mandato aut commissione, non nisi cum licentia Papæ possit alius episcopus in id se ingerere, etiamsi esset vicarius generalis ipsius diocesanum, ut docet Benedictus XIV, *De Syn. dioc.*, lib. I, cap. VIII, n. 2. Nam vicarius generalis, vigore solus generalis commissionis, gerit vices sui episcopi duntaxat in exercitio jurisdictionis, cujus limites excedit consecratio ecclesiæ. Hæc enim vel est actus ipsius ordinis episcopalis, ut videtur colligi ex cap. *Aqua h. t.*; vel non est proprie actus hujusmodi ordinis, ut vult card. Petra, t. IV, *Comment. ad constit.* 6 Urbani IV, est tamen actio jure canonico reservata ipsimet personæ diocesanæ in locis præcatis, quam propterea vicarius generalis ejusdem, absque speciali ipsius commissione, exercere non potest, quamvis et ipse sit episcopali ordine insignitus; ac multo minus eandem potest alteri committere ex se, nam utrumque esset prætergredi limites meræ jurisdictionis.

» Atque hæc regula valet etiam pro ecclesiis regularium ordinumque exemptorum nisi habeant speciale Sedis apostolicæ indultum, quod ex laud. Benedicto, loco cit., lib. XIII, cap. xxv, n. 2 et seqq., raro admodum concedi solet...

» Dubitari solet an alius episcopus, absque diocesanæ licentia, possit licite consecrare ecclesiam regularium in casu quo idem diocesanus, ab his bis aut ter humiliter rogatus ut talem ecclesiam consecret, renuat id facere, vel jam a quatuor mensibus et ultra id adhuc differat. Negant siquidem Clericatus, *De Sacrific. missæ*, decis. XLI, n. 29 et alii non pauci... Posse nihilominus id licite fieri docet Barbosa, *De Jur. eccl.*, lib. II, cap. II, n. 33, et *De Potest. episcop.*, part. II, allegat. XXVII, n. 11, et alii quamplures, eo quia Leo X in sua const. *Dum intra*, edita die 19 dec. 1516 in concilio Lateranensi V, ad stabiliendam pacem et concordiam inter regulares et episcopos, ut ibidem dicitur, et ad hunc finem etiam ab eodem generali concilio approbata, ac § 12 ad omnes regulares extensa, statuit quod regulares ab alieno quidem episcopo consecrationem ecclesiæ vel altaris petere non possint « nisi tamen ubi ordinarius bis aut ter cum debitis reverentiâ et instantia requisitus, sine le-

ADNOTATIO XXX.

» gitima causa id recusaverit... » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 598 sub init.)

ADNOTATIO XXIX.

Lib. III. Decretal. Tit. XL, § I, n. 4, pag. 156.

DE MISSA CELEBRANDA IN CONSECRATIONE ECCLESIE.

« Quoad missam duo discutienda sunt: 1. An missa sit de necessitate consecrationis ecclesiæ? 2. An eadem missa possit alteri celebranda committi, an vero sit celebranda ab ipsomet ecclesiæ consecratore.

» Quantum ad primum refert Glossa ad can. *Omnes basilicæ*, § *Cum missa*, non defuisse qui putaverint missam esse de substantia consecrationis ecclesiæ, ideoque ad hanc esse adeo necessariam ut absque missa nec licite nec valide peragi queat ecclesiæ consecratio... Hæc opinio communiter rejicitur. Quinimo aliqui sentiunt inter quos Schmier, *Jurisprud.*, lib. III, tract. I, part. II, cap. I, sect. III, § 1, n. 117... missam esse celebrandam ex convenientia non autem ex rigoroso præcepto. Veritas tamen est in contrarium, ut colligitur ex declaratione Benedicti XIV in epist. 2 ad Engelbertum, abbatem monasterii Campidonensis, incipiente *Peracta*, 16 nov. 1748, in qua declaravit talem missam non posse alteri celebrandam committi sine licentia Summi Pontificis. Ex hac declaratione duo inferuntur per quæ, ædum primum, verum etiam secundum dubium propositum resolvitur...

» Magnam nihilominus difficultatem ingerit quoad rubricam Pontificalis Romani. Hæc enim concedit quod, si episcopus consecrator nimio sit labore fatigatus, possit missam celebrare facere per alium, ut post Jordanum recte notavit etiam Clericatus, decis. XLI, n. 42. Porro quonam modo istud dictum rubricæ Pontificalis cohereat cum mox relata declaratione Benedicti XIV? Utrumque tamen facile conciliari censeo, si casus rubricæ Pontificalis dicatur exceptus per episcopiam, per hanc enim casus quidam extraordinarii censentur non comprehensi in lege mere ecclesiastica; « nam ad ea debet potius aptari jus quæ frequenter et facile, » quam quæ perraro eveniunt; et rationem assignat S. Thomas, 2, 2, quæst. CXLVII, art. IV, ad 2, quia nempe « legislator attendit id quod communiter et in pluribus accidit. » Deinde Benedictus XIV declaravit quidem requiri licentiam Summi Pontificis, et ipse tamen sciebat hanc dividi in expressam et rationabiliter præsumptam, suumque posse habere locum, tali declaratione non obstante, veram ratihabitionem de præsentis, quæ æquivalet licentiæ expressæ ac tribuit facultatem tunc licite agendi. Jam vero cum doctissimus Pontifex simul fuerit etiam in rubricis Pontificalis Romani versatissimus, casui rubricæ Pontificalis in hæc omnibus locum renuisse non ambigo. Adde quoad hanc missam quod, ut hæc dicatur solemniter celebrata,

sufficit etiam sine cantu et plana, dummodo episcopus sumat indumenta pontificalia, mitram scilicet et baculum. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 598.)

ADNOTATIO XXX.

Lib. III. Decretal. Tit. XL, § 1, n. 6, pag. 156.

ECCLESIE MENDICANTIUM NON EXIMUNTUR A LEGE ASSIGNANDÆ DOTIS.

« Atque assignandæ dotis eximunt Sylvester, Lezana, alique, ecclesias regularium mendicantium. Id tamen non multum placet Pasqualigo (quem refert Rotarius loco infra citando) et aliis, præsertim cum sint consecrandæ. Primo quia jus, dotem requirens saltem in consecratione, universaliter loquitur de ecclesiis, ideoque est universaliter intelligendum. Secundo, quia de hoc speciali privilegio non satis constat authentice. Accedit ipsum P. Ferraris, loquendo de constructione ecclesiæ ac monasterii regularium, in *Biblioth. v.º Ecclesia*, art. III, n. 41, generaliter monere in hujusmodi nova constructione hodie attendenda esse decreta S. Congregationis, jussu Urbani VIII ac Innocentii XII edita, quæ decernunt ad id tantum requiri ut saltem duodecim fratres ali et competenter sustentari valeant, etc.

» Utramque nihilominus opinionem conciliare nititur P. Rotarius in *Theol. Regul.*, tom. III, lib. II, cap. II, punct. 1, n. 3, dicens in praxi nunquam erigi Ecclesiam regularium, etiam mendicantium, sine dote. Si enim loquamur de iis qui nihil possident, ac vivunt totaliter de eleemosynis, ut sunt Capuccini, isti habent dotem, saltem moraliter certam de incertis, nempe de iisdem eleemosynis. Quamvis enim istæ aliquando modicæ sint, proindeque insufficientes pro uno loco, attamen vix est dabilis casus ut deficient in tota provincia. Usus namque ipsorum est ut, ubi in aliquo conventu eleemosynæ superabundantes reperiuntur, conventibus indigentibus suppeditent quæ ipsis superfluunt. Hinc videmus in Ecclesiis Capuccinorum esse quidem sacram suppellectilem pauperem, sed decentem et valde mundam. Cumque id ubique penes eos conspiciatur, et ubique competenter vivat secundum propriam regulam et statum, cum veritate dici potest quod ipsorum Ecclesiæ habeant dotem moraliter certam de incertis, id est ex eleemosynis eisdem ministrari consuetis vel a loco in quo degunt, vel a territorio, vel saltem a provincia. Porro cum Ecclesia simul cum monasterio possit ibi, juxta prælata decreta, licite ædificari, et Ecclesia ibidem constructa etiam licite consecrari, quando ibi statutus numerus fratrum, vel ex redditibus vel ex eleemosynis consuetis simul cum Ecclesia competenter sustentari valeat, Ecclesia tunc habet dotem moraliter certam ac competentem; ideo etc.

» Si postea loquamur de mendicantibus (ac etiam de aliis non mendicantibus) qui in communi redditus possident, dos, subdit idem Rotarius, sine qua non permittitur erectio monasterii, est simul dos monasterii et ejus Ecclesie; hæc enim est unum corpus cum ipso et nobilior pars ipsius. Hinc etiam Paulutius, *Jurisprud.*, lib. VII, tract. XI, cap. 1, n. 6, circa fin. inquit quod illæ Ecclesie sufficienter dotatæ censentur quæ possunt ex redditibus monasterii apte sustentari; non enim requiri dotem distinctam consentit etiam Pasqualigus cum suis asseclis. » (Giraldus, *Exposit. jur. Pontif.*, part. I, sect. 601.)

ADNOTATIO XXXI.

Lib. III. Decretal. Tit. XL, § I, n. 10; pag. 157.

QUID SI DUBITETUR DE CONSECRATIONE ALCUJUS ECCLESIE?

« Si ignoretur vel dubitetur an ecclesia fuerit consecrata, nec ullo certo testimonio aut documento constet eam fuisse consecratam, tunc est consecranda, can. *Solemnitates 16, De consecratione*, dist. I. Ut tamen non indigeat nova consecratione sufficit quod quotannis ibi semper celebratum fuerit anniversarium dedicationis, ut declaravit S. R. C. 27 nov. 706 in *Ferentina*. Dixi *ut non indigeat*, nam etiam in hoc casu, deficiente alio quocumque documento adhuc posse ecclesiam consecrari docuit concilium Romanum sub Benedicto XIII, tit. XXV, cap. 3. Dixi ulterius *si ibi quotannis semper celebratum fuerit anniversarium dedicationis*, eo quia, si pridem celebratum fuisset, sed postea per aliquot annos fuisset omissum, quamvis deinde reassumptum, ecclesia indigeret consecratione ut anniversarium prosequi possit. Ratio est quia præsumitur prius omissum ex congruis fundamentis et rationibus, si de opposito certo constare non faciant.

» Quod si certo constet de facta ecclesie consecratione, sed ignoretur dies et forte etiam annus peractæ consecrationis, pro isto casu S. R. C. die 18 aug. 1629 dedit ordinario facultatem assignandi diem pro festo ejusdem celebrando, in qua die permaneret quamvis tractu temporis nota fieret dies consecrationis, ut ait P. Cavalieri, tom. I, cap. 1, *Comment. ad decret. V, n. 14 et seqq.* subdens assignationem hanc posse fieri etiam a prælato regulari, si de sua ecclesia agatur, quia decretum non apponit quod fiat ab *ordinario loci* (cujus nomine, ex alio decreto ejusd. Congr. 22 jan. 1701 certe non veniunt regularium superiores) sed inquit ab *ordinario præcise*; cujusmodi plane sunt prælati regulares relate ad suos religiosos, propriamque ecclesiam, ordinariam jurisdictionem

habentes et quasi episcopalem; quorum propterea maxime in favorabilibus, sunt vere ordinarii, quamvis non sint *ordinarii locorum*. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 598.)

ADNOTATIO XXXII.

Lib. III. Decretal. Tit. XL, § I, n. 26; pag. 161

AN ECCLESIA CONSECRATA RECONCILIARI POSSIT PER SIMPLICEM SACERDOTE?

« Prohibet Gregorius IX, cap. 9, *Aqua*, h. t. n. reconciliatio ecclesie consecratæ de cætero fiat per simplices sacerdotes, non obstante provincie consuetudine, in contrarium inquiens hanc, dicendam potius corruptelam. Quam rationalis sit ista prohibitio ex hoc evincitur quia reconciliatio ecclesie consecratæ est actus ordinis episcopalis, ut hic ait Gregorius, quem solus Romanus Pontifex clericis episcopo inferioribus potest demandare, ut ex rubrica Ritualis Romani: « Simplex sacerdos tantum ex privilegio Sedis Apostolicæ potest ecclesiam ab episcopo consecratam reconciliare. » Ex quo colligitur ratio ob quam consuetudo provincie in contrarium dicenda sit potius corruptela, quia scilicet directe opponitur juri soli Romano Pontifici reservato, enervatque ecclesiasticam disciplinam, ideoque nec rationabiliter nasci poterat, nec rationabiliter adolescere, ut de effectibus consuetudinis agentes tradunt doctores communiter. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 602.)

ADNOTATIO XXXIII.

Lib. III. Decretal. Tit. XL, § I, n. 27; pag. 162.

AN CONSTET DE PRIVILEGIO CONSECRANDI ECCLESIAS ORDINI REGULARI CONCESSUM?

« Ingenue fateor, docet Giraldus, me hactenus nullibi legisse quod privilegium consecrandi ecclesie fuerit toti alicui ordini concessum, sed tantum alicui abbati, vel aliis pro aliqua vice, seu in et pro aliquibus circumstantiis. Hinc Grueber hoc inter ea privilegia enumerat quæ rarissime ac difficillime conceduntur: « qualia in generali communicatione non veniunt, et, quia in jure reprobantur tanquam corruptelæ, neque præscriptione neque consuetudine obtineri queunt, *De Privileg. relig.* disp. III, sect. 3, pag. 485. Neque quid plus evincunt exempla allata a Benedicto XIV, *De syn. diac.* lib. XIII, cap. xv, n. 3 et 4; solum enim probant posse Papam etiam non episcopis illud concedere. » (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 598, sub fin.)

ADNOTATIO XXXIV.

Lib. III. Decretal. Tit. XL, § I, n. 28; pag. 162.

AN PRO RECONCILIATIONE ECCLESIE TANTUM BENEDICTÆ SIMPLEX SACERDOS INDIGEAT EPISCOPI DELEGATIONE?

« Cum cap. 9, *Si Ecclesia*, h. t. agatur de secuta pollutione ecclesie non consecratæ sed simpliciter benedictæ; quamplures, inherentes Glossæ ad hanc decretalem § *Lavetur*, censent hujusmodi ecclesiam in casu reconciliari posse per simplicem sacerdotem aspersione aquæ lustralis ab eodem vel ab alio simplici sacerdote benedictæ; et quidem, etiam non expectata episcopi delegatione seu licentia. Idque in primis probant quia si etiam in hoc casu ecclesia reconcilianda esset ab episcopo vel saltem per sacerdotem ad hoc ab episcopo delegatum, id Pontifex expressisset, quemadmodum expressit in cap. præced. ecclesiam consecratam reconciliandam esse in casu consimili a constituto in dignitate ac ordine episcopali. Accedit aquam exorcizatam hic sufficere pro tali reconciliatione, ut constat ex verbis ejusd. decretalis. Jam vero nomine aquæ exorcizatæ venit aqua lustralis, quæ etiam a simplici sacerdote confici et adhiberi potest, non vero aqua admixta vino et cinere cum qua reconciliatur ecclesia consecrata, ex cap. *Proposuiti 4*, hoc tit. Denique si in hoc casu petenda et expectanda foret episcopi licentia pro ecclesie reconciliacione, protinus ecclesia lavari non posset, et sic non haberetur finis intentus a Gregorio IX in hac decretali, qui est quod divinæ laudis organa non suspendantur, et multo minus posset quam citius ecclesia consecrari.

» Hisce non obstantibus dico decretalem hanc esse intelligendam de lotionem, seu reconciliacionem facta vel ab episcopo, vel a sacerdote ab episcopo delegato. Potissima ratio desumitur ex eo quod ipsum Rituale Romanum, loquens de reconciliacione ecclesie non consecratæ, ait quidem absolute hanc fieri posse per sacerdotem, et quidem cum aqua lustrali sed « per sacerdotem delegatum » ab episcopo. » Ergo prærequiritur ista delegatio episcopi. Hinc S. Rit. C. die 9 februar. 1608 hoc decretum edidit: « Simplex reconciliatio ecclesie, seu cæmeterii non consecrati, potest committi presbytero in dignitate constituto; et ad eam peragendam independentem ab episcopo requiritur privilegium apostolicum, sicut et ad ipsam ecclesiam eodem modo solemniter benedicendam; sunt enim actus jurisdictionis episcopalis. » Accedit talem esse diocesum recte directarum consuetudinem, quæ est optima legum interpretis.

» Nec obstat præfatæ expressionis omisio; in primis enim dici potest hoc aliquo modo fuisse a Gregorio IX expressum in decretali antecedenti cum dixit episcopum posse simplicibus sacerdotibus committere quæque jurisdictionis existunt. Deinde etiamsi hoc exprimeret totaliter omisisset, nihil referret, cum lippis et onoribus innotescat non

posse simplicem sacerdotem sibi ea usurpare quæ jurisdictionis episcopalis existunt. Ad id quod subditur de aqua exorcizatæ, dico ejus confectionem ac usum non esse jurisdictionis episcopalis, ut est ipsa ecclesie reconciliatio. Ad ultimum, quod est fortius argumentum, dico *ly prolinus* esse intelligendum quantum rite ac recte fieri potest, non vero secus; idque Pontificem hic intendisse ne scilicet divinæ laudis organa suspendantur, cum quam citius rite ac recte ecclesie reconciliari possit, in eodem sensu (quantum ad hoc spectat) dici potest locutum quoad ecclesie consecrationem. Cæterum, dum hic agit de consecratione ecclesie quam citius faciendâ, censeo Gregorium ita fuisse locutum de ecclesia benedicta quantumvis non polluta; cum enim simplex benedictio ecclesie, ut supra notavi cum Baruffaldo et aliis, præcise sit in subsidium usquequo nempe ecclesia consecratur, ideo etc. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 603.)

Idem Giraldus, ib. part. I, sect. 598 finem versus, docuerat benedictionem ecclesie fieri posse per sacerdotem ab episcopo delegatum; ita Rituale Romanum: « Nihil addens an hic esse debeat in dignitate constitutum necne; quod clare denotat posse ab episcopo delegari etiam sacerdotem simplicem. Neque opponas illum esse delegabilem ad ecclesiam benedicendam qui potest delegari ad eam benedictam reconciliandam, arg. ex eod. cap. *Aqua*; solum autem sacerdotem in dignitate constitutum posse ab episcopo delegari ad hanc reconciliandam, ex decreto S. Rit. C. 9 februar. 1608: « Simplex reconciliatio ecclesie seu cæmeterii » non consecrati potest committi presbytero in dignitate constituto; » nam hoc decretum inquit quidem quod talis reconciliatio committi possit, non autem quod committi debeat presbytero in dignitate constituto: quod est bene notandum; eo quia intellectum concordat cum verbis allegatis Rituali Romani, ac favet nobis. Aliud siquidem est dicere: benedictio committi potest presbytero in dignitate constituto, quod nec ego inficior, imo assero etiam magis esse conveniens; aliud dicere quod huic committi debeat; cum *ly debeat* inferat episcopo necessitatem, quam revera non habet delegandi sacerdotem in dignitate constitutum; nam, quantum ad hoc liber est ad delegandum etiam sacerdotem simplicem absque ulla vel minima inconvenientia. Adde facillimum esse quod *ly in dignitate constituto* fuerit appositum in decreto, in quantum positum fuerat in petitione seu quæsito Congregationi proposito. »

ADNOTATIO XXXV.

Lib. III. Decretal. Tit. XL, § II, n. 33; pag. 163.

INDULTUM RECENS CONCESSUM PRO CONSECRATIONE ALTARIUM ETIAM IMMOBILIUM PER VICARIUM GENERALEM EPISCOPI FACIENDA.

AURELIANEN. Sanctissimus D. N. Pius PP. IX clementer deferens supplicibus votis RR. D. Felicis

Philiberti Dupanloup, episcopi Aurelianensis, ab infrascripto Sacror. Rit. Congregationis secretario relatis, indulsit ut episcopus orator, attentis quæ experitur oculorum et valetudinis incommodis, ad aliud quinquennium proximum delegare valeat suum in spiritualibus vicarium generalem ad consecrationem altarium immobilium in ecclesiis diocesis Aurelianensis, servato in omnibus Pontificali Romano. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 6 aug. 1865. — C. episc. Portuen et S. Rufinae card. PATRIZI, S. R. C. præf. — D. Bartolini, S. R. C. secret.

Idem episcopus gaudet alio indulto virtute cuius delegare potest etiam suum in spiritualibus vicarium generalem pro consecratione altarium portatilium, sub hac notanda conditione quod illi, qui tunc primum delegatus est pro dicta consecratione faciendâ, non possit alius licet vicarius generalis sufficere. Unde vicarius generalis idem esse debet pro toto temporis curriculo in indulto præfixo, puta ad quinquennium.

ADNOTATIO XXXVI.

Lib. III. Decretal. Tit. XL, § II, n. 38; pag. 164.

AN ALTARE FIXUM CONSECRATIONEM AMITTAT SI DE LOCO IN LOCUM TRANSFERATUR?

« Affirmant vel etiam supponunt id plures, inter quos Gonzalez in *Comment.* ad cap. *Si altare* hoc titulo, n. 15.... Attamen Barbosa ad idem caput, n. 12, cum Suarez et aliis inquit contrarium quod, si contingat altare fixum totum ac integrum transferri de loco in quo constructum fuerat in alium locum, per hoc non amittere consecrationem. Ratio est quia licet altare fixum in hoc differre videatur ab altari portatili, quod hoc sit transferibile de uno loco ad alium, ipsum vero non ita, proindeque fixum dicatur et immobile; tamen hæc differentia est mere extrinseca, accidentalis, et respectiva ad ipsum locum potiusquam inter ipsa altaria. Nam ratio formalis, per quam altare fixum intrinsece differt a portatili, proprie in eo consistit quod altare fixum habet ac essentialiter importat conjunctionem tabulæ cum sua structura inferiori seu basi, cui tabula proinde necessario debet esse unita; ubi econtra altare portatile de sui natura importat esse a basi sejunctum; propter hoc enim portatile est quia de se habet disjunctionem a basi, alias non esset amplius altare portatile sed fixum. Hinc essentia altaris fixi vere et proprie consistit in dicta conjunctione, hoc est in mensa seu tabula unita cum basi, fixationemque in tali loco ideo importat quia ibi ipsum voluit qui illud construere fecit: quod proinde ipsimet altari est quid extrinsecum et accidentale, poterat enim alibi istud idem construere. Quare cum altare supponatur eadem conjunctionem servare, tabulæ scilicet cum

basi, non obstante ipsius translatione de uno ad alium locum, dicendum est quod retineat suum esse ac per consequens et suam consecrationem quæ eidem accesserat; accessorium namque, cum fundetur super principali, naturam sequi congruit principalis, ex reg. XLII, *De regul. jur.* in 6. Propterea ut verificetur *ly mota*, non est necesse quod translata fuerit de uno in alium locum, sed sufficit quod fuerit a sua basi disjuncta, et sic per hoc altare nova indigeat consecratione. Hinc Glossa tum ad can. *Si motum* 19, *de Consecrat.* dist. 1, cum ad cap. *Ad hoc* 1, hoc tit. § *Altare*, Panormitanus, ibid. alique per *altare* intelligunt ipsam altaris tabulam quæ connexa est cum sua structura inferiori; per *motum* vero intelligunt advenientem disjunctionem ejusdem tabulæ, vel etiam lapidis consecrati ab ipsa inferiori structura, adeo ut sensus illius textus: « Si altare motum fuerit » sit iste: « Si ipsa tabula aut lapis consecratus altaris » disjunctus, seu disjuncta fuerit a sua inferiori » structura, » altare debet denuo consecrari. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. 1, sect. 599, in medio.)

ADNOTATIO XXXVII.

Lib. III. Decretal. Tit. XL, § II, n. 40; pag. 165.

RELIQUE NECESSARIO REQUIRUNTUR IN CONSECRATIONE ALTARIS.

« Queritur an ad consecrationem altaris, tum fixi, tum portatilis, necessaria ibi sit positio reliquiarum? Dico *ad consecrationem altaris*, nam eam requiri ad consecrationem ecclesiæ aperte colligitur ex can. 7. synodi generalis VII, prout card. Bona, *Rer. liturg.* lib. I, cap. XIX, § 5. Quoad altaria vero hanc necessitatem negant Panormitanus in cap. 1. *De consecr. eccl.*, n. 2, Pirhing, eod. tit. n. 26, Reiffenstuel ibid. n. 40; Suarez, Clericatus et alii quamplures...

» Ego nihilominus, innixus sequentibus decretis S. Rit. C. oppositum censeo. Pittonus enim t. I, *de Rit.* sic decisum refert die 5 mart. 1603: « Altare portatile tum consecrationem amittit quando » frangitur vel loco movetur repositorium reliquiarum. » Die 5 mart. 1623: « Celebrari non » potest super altare a quo furtim, non amota vel » fracta mensa, subtractæ fuerunt reliquæ a millibus, nisi altare de novo consecratur. » Accedit consuetudinem consecrandi etiam altaria cum reliquiis et ipsam antiquissimam esse ac inmemorabilem, eamque fuisse in usu penes D. Ambrosium aliosque Patres quarti sæculi, ac per eos fideliter ad nos transmissam, ut disertè ostendunt clariss. Abbas D. Robertus Sala in notis et addit. ad præf. § 5 card. Bona, ac doctissimus auctor operis *De sacramentar.*, tom. I, lib. V, quæst. 40, cap. 1, § II, quæst. 13...

» Neque dicas, tempore Clementis IX, indultum fuisse Augustano episcopo ut, absque nova consecrationis actione, pro consecratis haberentur altaria a Suecis militibus reliquiis spoliata, per hoc solum quod aliæ reliquæ in iis ponerentur, ut referunt card. de Lauræa in opusc. *De altaris consecr.* in fine, et Clericatus *De sacrificio missæ*, decis. XIII, n. 30. Ideo enim hoc quia ipsemet Summus Pontifex ea, qua pollet in hisce rebus, mere ecclesiasticis, plenissima auctoritate, alligavit pro eo actionem reconsecrationis eorumdem altarium ipsimet actui substitutionis aliarum reliquiarum. Et quidem rationabili ex causa, cum ageretur de reconsecrandis plusquam duodecim mille altaribus. Cæterum, cum in hoc alisque casibus, semper sancita legatur positio aut repositio reliquiarum pro consecratione aut reconsecratione, nedum ecclesiarum, verum etiam altarium, inde potius infertur reliquias ad id esse necessarias... Quantum denique ad consuetudinem consecrandi altaria, maxime portatilia, sine reliquiis, respondeo absum ac legitimæ potius consuetudinis corruptelam eam esse appellandam, cum non sit adeo difficile, sicuti supponitur, veras et exploratas reliquias invenire pro consecratione altarium. Et Pontificali præscriptum est vere ut reponantur in altari una cum ecclesia consecranda est. Quidquid propterea dicant præfati auctores, censeo non esse proprie consecratum altare absque reliquiis, ideoque non posse sacerdotem in eo tuto celebrare. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. 1, sect. 599, in medio.)

ADNOTATIO XXXVIII.

Lib. III. Decretal. Tit. XL, § II, n. 48; pag. 166.

DE BENEDICTIONE CAMPANARUM.

Episcopo petenti facultas delegandi simplices sacerdotes pro benedictione campanarum in ecclesiis diocesis a Sancta Sede concedi solet. Moderatus episcopus Aurelianensis ad hunc effectum habuit indultum virtute cuius potuit committere prædictam benedictionem, nedum vicariis generalibus et canonicis, sed etiam parochis et rectoribus ecclesiarum, sub ea conditione scilicet quod benedictes servent adamussim ea omnia quæ in Pontificali romano præscribuntur, et insuper utantur aqua specialiter ad hoc benedicta ab episcopo diocesano vel ab alio quocumque communionem cum Sede apostolica tenente.

Illud concordat cum tenore sequentis indulti: « S. Rit. Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctiss. D. N. Pio PP. IX tributis, Reverendiss. D. Petro-Ludovico Parisi, episcopo Atrebatensi supplicanti, ad quinquennium proximum facultatem prorogavit subdelegandi suos pro tempore vicarios generales aliosque sibi bene visos diocesis Atrebatensis sacerdotes in aliqua eccle-

siastica dignitate constitutos ad benedictionem notarum in usum ecclesiarum diocesis Atrebatensis, dummodo iidem adhibeant aquam ab episcopo oratore, vel alio episcopo pacem et communionem cum hac Sancta Sede habenti, ad hoc benedictam, et servant formam in Pontificali Romano præscriptam; contrariis non obstantibus quibuscumque. Romæ die 22 martii 1859. — C. Episc. Alban. card. PATRIZI, S. R. C. præf. — FI. Capalti secret.

Aliud indultum RR. DD. Lequette, episcopo Atrebatensi, die 23 julii 1866, diversum in aliquibus tenorem habet, scilicet: « ... deputandi pro tempore vicarios generales... ad benedictionem notarum recenter fusarum in usum ecclesiarum ejusdem diocesis Atrebatensis, sub hac conditione tamen ut sacerdotes ad hoc delegati adhibeant.... » (Ex archivio cancellariæ episcopalis Atrebat.)

ADNOTATIO XXXIX.

Lib. III. Decretal. Tit. XL, § II, n. 54; pag. 168.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM QUOAD BENEDICTIONES RESERVATAS.

« Si ea excipias, optime animadvertit Giraldus, in quibus chrisma seu sacra unctio adhibetur, saltem ordinarie, ob communicationem in privilegiis, cætera possunt efficere generales religionum, provinciales ac superiores locales, ut videri potest apud Maschat, *Instit. canon.* hoc tit., n. 9; Cavalieri, t. IV, cap. XI, ad decret. 2, n. 3 et alios. Quinimo tot sunt bullæ pontificiæ privilegiorum, in materia communicationum regularibus concessorum, ut, nedum præfati superiores, verum etiam eorumdem vicarii in ipsorum absentia, imo et alius quilibet ejusdem ordinis sacerdos ad hoc ab ipsis delegatus eadem peragere posse dicatur. Unusquisque tamen consulat, attendatque propriæ religionis litteram privilegiorum, ne erret in hac materia; ista enim, ut dici solet, tantum valent quantum sonant.

ADNOTATIO XL.

Lib. III. Decretal. Tit. XL, § II, n. 58; pag. 169.

INDULTA QUOAD BENEDICTIONEM PARAMENTORUM PRO GALLIIS ANTIQUITUS CONCESSA.

In *Analect. jur. pontif.* serie VII, fascic. 57, 58 et 59, leguntur varia decreta S. Rit. Congregationis huc usque in vulgus non edita, inter quæ seligere placet nonnulla ad Gallias respicientia, ex quibus praxis ecclesiarum Galliæ, temporibus præteritis, evidentissime demonstratur.

I. LAUDUNEN. Sub supplicatione data ab episcopo